



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Praxis Meditationum S.P. Ignatii Loyolae

Diertins, Joseph

Solisbaci, 1708

Med. 35. Ad amorem spiritualem in nobis excitandum. Myst. punct. 1.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60232](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-60232)

COLLOQ. Quibus petamus fiduciam illam, & reciprocum amorem erga Christum.

RECOLLECTIO, REPETITIO, APPLICATIO SENSUUM.

SEQUUNTUR

MEDITATIONES

DE

Amore Spirituali.

MEDITATIO XXXV.

Ad Amorem Spiritualem in nobis excitandum.

Myst. punct. 1.

CONG. Desiderium Deo rependendi reciprocum amorem.

PRÆL. I. *Ut coram Domino, Angelis; Sanctisque omnibus mihi propitiis stare me videam.*

PRÆL. II. *Ut gratiam Dei efflagitem, per quam beneficiorum ejus, in me collatorum magnitudinem perspiciens, ad amorem, cultum, & servitium ipsius, totum me impendam.*

PUN.

PUNCTUM I. BENEFICIUM CREATIONIS. MEM. *Crea-
vit Deus Cælum, & Terram. Gen. 1.*

INTEL. Perpendamus, quanta, quàm varia, quàm pulchra, quàm benè ordinata in Cælo, & in Terrâ benignissimus Dominus mei amore egerit; quomodo sex dierum spatio in opere illo quasi laboraverit. Quomodo res tot, & tam utiles ac comòdas mihi donaverit; quodque si eisdem benè utar, ipse cum omnibus illis seipsum, mihi æternùm donare velit. **REFL.** Consideremus, quid æquum sit nos tali benefactori reddere, & pro ipso agere.

VOL. *Suscipe Domine universam libertatem meam, &c.*

PUNCTUM II. BENEFICIUM REDEMPTIONIS. MEM. *Dedit Redemptionem semetipsum pro omnibus. 1. Tim. 2.*

INTEL. Consideremus quid in hoc beneficio Deus egerit, quando *Homo factus est*, Joan. 1. Quid dederit: *Panis enim Dei est, qui de Cælo descendit, & dat vitam mundo*, Joan. 6. per Eucharistiam, & omnia bona supernaturalia Sacramentis annexa; & præterea, seipsum nobis non tantùm dat in Eucharistia; sed perpetuò nobis vult esse unitus: *Nam est pignus hereditatis nostræ*; Ephes. 1. Quanta vero perpeffus sit pro nobis, tota vita ejus, & mors demonstrant. **REFL.** Disquiramus, quæ nostræ sint partes, ut tanto in nos amori respondeamus.

VOL. *Suscipe Domine universam libertatem, &c.*
Sed nò sumus contenti oblatione tali, nisi accedat
ardens

ardens desiderium patiendi ex amore erga Christum, expressum verbis tertii gradus humilitatis.

PUNCTUM III. BENEFICIA PARTICULARIA. MEM.
Omne datum optimum, & omne donum perfectum desursum est. Jacob. i.

INTEL. Revocemus in memoriam, dona omnium Corporis, tum Animæ; tum exteriora, eaque vel naturalia, vel supernaturalia, quæ nobis præ innumeris aliis, qui iis carent, data sunt. Non obliviscamur verò doni vocationis ad Societatem. Ratiocinemur, quantum benignissimus Dominus nostrâ causâ egerit; quantâ cum patientiâ, & longanimitate peccata nostra tulerit: quot inspirationes, & desideria ad cœlestem gloriam nobis infuderit. **REFL.** Concludemus esse *haud sanè dubium, quin mea omnia offerre debeam, ac me ipsum cum summo affectu, reciproci amoris.*

VOL. Iterum *suscipe Domine universam libertatem meam, &c.*

COLLOQ. Plena affectu amoris, cum perfecta resignatione, & oblatione ac restitutione omnium quæ accepimus.

RECOLLECTIO.

MEDI-